

quia habemus amulos vicinos; sed ponatur persona cum decem bonis personis super Turri portæ , & nos omnes stenus in bona custodia in muris , & sumus constantes ad nostram defensionem , ne ad manus inimicorum perveniamus . Et ordo detur inter nos de præsenti , ut si de mane inimici contra nos veniant , quod sint deputati aliqui , qui illico vadant ad istos proditores , ipsosque capiant , & captivos retineant penes se . Gratia Domini , sumus bene sufficietes ad defensionem hujus loci . Tunc inquiremus ab ipsis cum tortura : & alia poterimus ab eis habere , propter quæ cum sententia punientur , & corrigentur . Et isto modo nullus contra nos poterit dicere , quod male & voluntarie fecerimus . Et sic omnes contenti de verbo per me allocuto , quieverunt ab eorum voluntate : & ordo dictus de præsenti positus fuit . Et sic de mane ipsæ gentes non venerunt , & de suspicacionibus ipsorum fratum multa possent scribi de veritate : quæ taceo in Scriptura mea , quia sufficit quod prædixi , quia nunquam contra inimicos se cum eorum vicinis exposuerunt ad defensionem nostram , nisi semel ipse Zuttus ad equum ascendit die , qua Nicolaus Caval , & quidam alter fuerunt per nos capti , & per nostros ; & nisi fuisse Candussius q. Federici , ipse Zuttus fuisse ipso die per inimicos captus . Ascendit equum illa die , in qua Bartholomæus q. Leonardi fuit captus : & hoc quia clare in ejus vultu sèpius dicebatur , quod parte Domini Paduæ contra suos vicinos maligne tenebat ; & multa mala verba ei sèpius objiciebantur , quibus contrarium dicere non est ausus . Et inter vicinos de vicinis ad villam stantibus magna & perfecta constantia dilectionis & filialitatis regnavit ; ita quod de nullo dici potuit oppositum . Ego enim Joannes Aylini nolo dicta , gesta , & operata per me in guerra scribere , quia facerem contra mandatum sapientissimi Catonis , dicentes : nec te collaudes , nec te culpaveris ipse . Tamen aliqua , & minima tangam . Quia per Nobiles & vicinos fui deputatus provisor cum meis affinibus num. CL . Feci fieri super portam inferiorem defensionem bonam , quia nulla ibi erat , super olivariis : aliam prope domum Olvradini , unam inter Ecclesiam S. Jacobi & domum quæ est ibi prope pro balistamento , unum mantellum , ubi de colle Grisolo nostri in Castro balestrarent . Portas inferiores Castris novas fieri feci . In Sacilo ferram magnam fieri feci , sub olivariis duas offensibiles postas inimicis super porta muri , super rivo & alibi spinatas : & die noctuque vigilando pro sustentatione nostra litteras infinitas scribendo cum arcu vel ballista in villa tamen cum vicinis meis eundo ; arma mea , scuta , panesios concedendo non habentibus ; vicinos contra inimicos ad eorum nocumentum inducendo . Et Antonius nepos meus juvenis ætatis XIV . annorum in principio guerræ voluntarie se exercendo ultra suum debitum , & contra meum velle propter ipsum juventutem , voluntarie contra inimicos se cum vicinis miscendo .

In M.CCC.LXXXVIII.(a) die XXVII. Novembr. Reverendissimus in Christo Pater , & D.D. Joannes Marchio Moraviae electus fuit & provocatus in Patriarcham S. Aquilegensis Ecclesiae : de cuius provocatione pars Utini libentissime audivit . Et ex latitia magna facti sunt per eos , & parte ipsorum magni pagnaroli in Civitate die noctuque inter omnes cives cum igne , cum hastilio magnum gaudium ; putantes fore exemptos de tanto

(a) Joannem elegit Patriarcham Urbanus VI. eadem die 27. Novembbris anno Pontificatus decimo , idest anno Christi 1387.

dolore & tristitia habita , & habitura : quia in hyeme (b) Dominus Paduæ multum se fulciebat , volens recuperare partem , quam non poterat viceisse : & infinitos lapides bombardarum fieri fecerat , & conduci in Aviano de diversis maneribus , videlicet de grossis , & parvis , qui hodie ibi sunt . Utinenses vero sèpissime nuncios & ambasatores ipsorum , sèpius , & sèpissime ad ipsum Dominum Patriarcham miserunt , ut celeriter ad ejus Patriarchatum venire deberet in eorum & totius Patriæ succursum ; dubitantes , Dominum Paduæ venire in futura æstate contra Patriam , quæ totaliter erat depauperata . Et pro nunciis suis sèpius missis dicti Utinenses expenderunt ultra mille Ducatos ; quia de melioribus eorum Civibus miserunt , quibus mandatum fecerunt , ut nullo modo redirent fine Domino Patriarcha , qui ibi moram traxerunt ultra quatuor menses , ipsius adventum expectando . Et sic finaliter ipse Dominus noster Dominus Patriarcha per totam illam æstatem (c) non venit .

Interim vero , succurrente glorioissima Virgine Maria Domina & advocata omnium in ea sperantium , sub cuius alis ista S. Aquilegensis Ecclesia defensatur ; Magnificus & Excell. D. D. Comes Virtutum , qui confederatus extiterat cum D. Francisco de Carraria , sentiens ipse Dominus Comes ipsius Domini Paduæ iniquos tractatus , & pravam ejus voluntatem , contra eum tractari per eundem ; eidem D. Franciso suas litteras diffidationis misit , & scripsit in hac forma ; quarum tenor talis est : " Fallimini , Magnifice Vir , si quæ in depressionem nostri status non in Italia solum , sed in Germania , & Gallia pluribus jam mensibus , non uno tantum , sed pluribus diversis , callidis , & exquisitis modis accuratissime procurasti ; nec minus si quæ in læsionem nostræ honoris protulisti imprudenter convicia , ad nostram non creditis notitiam pervenisse . Sensimus quidem , & si non omnia de pluribus , tam men horrenda & execranda nimis ; quæ nisi manu palpassemus , nequidem per vos fieri vel profiri debere , verum nec excogitari debuisse minime putassemus : cum talia sint , qualia hostis in hostem , nonnisi insupportabilibus lacestitus injuriis , moliri seu meditari deberet . Nos autem quales injurias , vel offensas vobis intulerimus , ignoramus ; nisi quod labentem corrueantemque in præcipitum statum vestrum tempore illo , quo cum D. Antonio de la Schala concubebatis acerrimo bello , dum prorsus omni spe alia destitutus , ruinam vestram apertis oculis cernebatis , servasse , protexisse , & multiplici favore guerræ dicimus sublevasse , vestras offensas & injurias vindicando . Satis Magnifice Vir , nec nos ignoramus quæ , quot , & qualia inter vos , & nos agitata fuerint ipsis temporibus retraactis , quæ sub tam breviloquio constringi non possent , cum prolixa Scriptura quod non res agitat reddere , in hoc reservatis reliquis suo loco & tempore concludendis , in brevitate duximus : quod tutius arbitramur , apertum & publicum , quam simulatum & insidiosum sub amici nomine hostem habere ; & guerram patentem præferre paci factæ & simulatae , non aliud quam dolos , fraudes , vim & insidias parituræ . Proinde bellum vobis lapsa die XXX . hujus mensis Junii per præsentes indicimus ; spectantes in Deo , & concurrente ad hoc Illustri Ducali Dominio Venetiarum , cum quibus numeris per confederati sumus , contra insperatam &

" in-

(b) Anno Christi 1388.

(c) Anno 1388.